



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Amici utilitas, pretium, motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Quò dolore contenebratum est cor meum! & quidquid aspicebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, & paterna domus mera infelicitas: & quidquid cum illo communicaveram, sine illò in cruciatum immanem vertebatur. Expectabant eum undique oculi mei, & non dabatur mihi; & oderant omnia, quia non habebant eum. S. August. Confess. l. 4. c. 4. deplorans mortem cuiusdam defuncti charissimi.

Basilus, ingens huius sæculi bonum - Pat quoddam eramus haud ignotum Græciæ; communia omnia, unus utrique animus erat. Quem separabant tantum duo corpora: & mutui amoris inter nos vinculum erat Deus. D. Gregor. Naz. de vita sua carmine Iambico conscripta.

Nulla potest esse amicitia, ubi regnat proprietates; & proprium diligens nemini amicitur. Qui effundit libenter amorem, quod exterius est, retinere non novit: qui aperit animum, aperit & thesaurum. Sim. Cass. l. 15. de iustit. Chr. c. 6.

Fortassis ignoras: tecum fui Romæ; tecum nivium perpeffus sum injurias; tecum montes, vel lubricos glacie, vel scopulis exasperatos. Univerfa tecum pertuli; quæ dolui, dum perferres. Hæc enim est inter amicos animorum concordia; ut nihil ab altero sit alienum, nihil alteri singulare: omnia eis facit unam rempublicam voluntas una. Hildebertus Turon. Ep. ep. 28. gratulatur amico reditum Romæ.

Columbæ duæ utrinque pedibus tenent annulum cum lemmate: *Communis utriusque.*

§. III.

Amicus corripit, & corrigit.

Corripiet me iustus in misericordia. Pl. 140. Hoc unum ex magnis beneficiis Dei est; ut inveniamus fideles amicos, qui vera nobis de nobis dicant, & nos ex magno Dei beneficio libenter eos audiamus, & ex corde gratias agamus. Bellarminus hic.

Amicus felix, medicamentum vite, & immortalitatis. Eccli 6. 16. Ecce, qualis est amicus fidelis! *medicamentum vite.* Ordinatur istam vitam; officium assumit medici verus amicus, diætam a noxiis imponit; purgat verbis; & asper sæpè videtur. Dulcis in malis semper amicus non dicitur verus. Simon Cass. de iust. Chr. l. 15. c. 11.

Amicus noster dormit. Joan. 11. 11. Amici nobis à Deo dati, ut per eos à lethali peccati somno excitemur in vitam gratiæ. Elias *obdormivit in umbra juniperi.* 3. Reg. 19. 5. Sed fidus amicus angelus excitavit. Bæza t. 2. l. 8. c. 9. §. 12. Amicum verè Lazari agit Dominus, dum eum à somno excitat. Aiebat Xenophon; assentione homines obdormire. Amicorum munus est, dormientes veritatis objectione excitare. Sic 3. Reg. 19. 5. angelus dormientem Eliam excitat. Escobar tr. 1. Mir. Chr. l. 10. sect. 1. Obl. 7.

Nullum tam certum est amicitiae indicium; atque non connivere delinquentibus fratribus. S. Chrysost. serm. 18. in ep. ad Eph.

Habet vera amicitia nonnunquam objurgatio-

nem, adulationem nunquam. S. Bernardus ep. 242. Hæc est veræ charitatis, & amicitiae, regula: ut ita se fratres mutuae dulcedinis amore confoveant; quatenus, si quid in utrovis reprehensibile est, alter alteri non abscondat. S. Petrus Dam. l. 4. ep. 3. Qui diligit, obviat opportune, & importune, damnis amici: qui non corrigit, odit, & fraudulenta oscula imprimit. Et odii signum est, prætermissa correptio. Sim. Cass. de iustit. Chr. l. 15. c. 18.

§. IV.

Amici alia officia.

Nihil sic probat amicum, quemadmodum operis amici portatio. S. Augustin. lib. Quæst. q. 71.

Solus est, qui sine amico est verè solus; qui, cum cecideris, non habet sublevantem se. Blesens. tr. de amicitia.

Qui non amat, amicus non est. Idem ibidem.

Amicus prava quoque recta iudicat. S. Hieron. ep. 61. ad Pammachium.

Amico fideli nulla est comparatio. Amicus fidelis, hortus conclusus, fons obsignatus; qui opportune aperiuntur; & communicantur. S. Gregor. Naz. orat. 6.

§. V.

Amici utilitas, pretium, motiva.

Benevolentia facit, ut amici vulnera utilia magis, quam voluntaria inimici oscula, sint. S. Ambros. Eth. Chr. l. 1. c. 34.

Quæ amicitia, quæ familiaritas, tantam contrahere unionem posset, quantam Fidei cognatio? non enim quantam amicus amico debet propinquitatem, tantam nos habere invicem oportet; sed quanta est membri ad membrum. Hæc amicitia, & curâ, aliam maiorem nemo unquam invenire posset. S. Chrysost. hom. 14. in Joan.

Est nobis, solem hunc extinguere, jucundius, quam amicorum consuetudine privari: jucundius in tenebris agere, quam sine amicis esse, S. Chrysost. hom. 2. in ep. ad Thess.

Amicus est munitum palatium, solatii portus. S. Gregor. Naz. Orat. 6. ad Presbyt. Nyss.

Amicitia custodia est amici; magis verò custodia est amoris; nec non & animi, animæque dicitur esse custodia. Sim. Cass. de iustit. Chr. l. 15. c. 6.

Charitas, & amicitia perfecta, sive Christiana, solis nominibus distinguuntur. Idem ibidem c. 18.

In omni fortuna prudenter ad amicum festinat; bonum enim communicata lætitia facit gratiorem; adversa verò magnum suscipit ex amici solatio remedium. Hildebertus ep. 29.

Amicitia est divitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita. Cassiodorus prolog. lib. de amicitia.